DISPUTATIO JURIDICA

De

INCENDIO,

Quam

DEO DUCE

Consentiente Magnifico JCtorum Ordine in Illustri SALANA

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN.

JOHANN. VOLK. Bechman/

J.U.D. longè celeberrimo & Profess. Publ. Extraord. meritissimo, Patrono meo Summo, Præceptore omni honoris & observantiæ cultu devenerando,

Publicæ disquisitioni submitto

JOHAN. CHRISTOPH. Eilhard / Northus.

Autor.

ad d. Septembr.

In Auditorio JCtorum.

J E N Æ,

Literis JOHANNIS NISII,

Anno ACaDeMIæ IVbILæo.

MAGNIFICIS, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, ac Prudentissimis

LIBERÆ IMPERIALIS NORDHUSANÆ REIPUBLICÆ

DNN. CONSULIBUS, DN. SYNDICO, DNN. QUATUORVIRIS,

DNN. Mæcenatibus, Patronis, ac studiorum suorum Promotoribus omni studio, amore, & officiis perpetuùm colendis

Hocce
Exiguum debiti cultus, atque observantiæ monumentum, eâ quâ par est, animi submissione offert in suorum studiorum commendationem

Perenni obsequio Cliens

Johann. Christoph. Eilhard.
Autor, & Resp.

PROOEMIUM.

De
CURA ROMANORUM IN EXSTINGUENDIS INCENDIIS.

QUantam curam Romani in exstinguendis & præcavendis incendiis adhibuerint, ne quid detrimenti caperet Respublica, videre est, cum ex rerum gestarum monumentis, tùm ex nostri Juris vestigiis. Putantes id sibi negocii datum esse, ut salutem Reipublicæ, quibuscunque modis possent, curatè tuerentur; Eaque gratiâ Triumviri, & cum hi soli ferundo non essent, Ædiles constituti sunt, qui arcendis incendiis præessent, excubiasque agerent nocturnas, ac cum his certi homines & certæ familiæ circa portas & muros habitantes, quorum opera & auxilio incendio orto uti possent, *l.1.ff.de offic.Præfect.Vigil.* Nec non admonerent inquilinos debitæ diligentiæ, ut unusquisque eorum aquam in cænaculo haberet, quo, si ejusmodi quidpiam accideret, huic ex tempore succurrere possent, ne incendia neglecta vires sumerent, quocirca in secus vel aliter facientes severè animadversum fuit. Nec aliud patet ex historiâ. Cum enim ad incendium in sa-

cra via ortum, exstinguendum tardius, quàm par erat, copiam sui facerent M. Mulvius Cn. Lollius L. Sextilius Triumviri à Trib. pleb. die dicta ad populũ damnati sunt, *Valerius M. l. 8. c. 1.* Paremq; severitatem cum his P. Villius Triumvir nocturn9 expertus, cum quidpiam diligentiæ circumeundo vigilias remisisset. *Id. d. l.* Quod etiam hodiè quotidiè observari videmus non minori cura ac sumptibus, dùm non solùm quilibet Magistratus, quantus quantus sit, memor demandati officii in eo totus est, Ne desint qui die, noctéque excubias agerent, huic rei gnaros viros præficit; eosque juramento adstringit, qui adesse jussi vel signo dato (quod tamẽ Deus Ter Optimus Max. clementer avertat) relictis omnibus rebus apparerent & manum admoverent. Et quò instructi veniant partim ipse subministrat instrumenta, partim verò à novis opificibus, qui, prout in quibusdam locis mos fert, quotiescunque alicui collegio ejusque privilegiis ac juribus sese mancipant, confici curat. Sed etiam exorbitantes qui lignis, fœno, aliaque materia facilè conflagrante, replent ædes, corrigit; renuentes & malitiosos incendiarios debita pœnâ coërceet, diligentiam civium opem ferentium remunerando suscitat & promovet; quo multæ eversiones Urbium, plures suffocationes hominum ut & pecudum & plures ædium ruinæ præcaveantur. Non tamen omne incendium negligentiâ & malitia hominum provenit, quemadmodum illius Sardanapali qui ob nimias delicias & luxuriam perdito regno ne in potestatem hostium veniret, venenum hausit: Et igne subjecto ipse cum Regia sua, aliisque omnibus qui fuga salutem non quæsiverunt, conflagravit. Sed quandoque

Deus

Deus Ter Optimus Maximus ad vindicanda hominum flagitia ministerio suorum Elementorum utitur; dum unum atque alterum tellus ima dehiscit, alium aqua præter solitum emergens impetu suo abripit, & destruit, alium aër venenatus inficit, alium ignis perdit. Exemplo nobis sint septem illæ civitates Sodomitarum quæ igne & irâ cœlesti tactæ suis jam jacent sepultæ cineribus, & quondam undique refertæ incolis in horridas versæ solitudines jam desertæ lugent. Quis nescit nunquam satis deploratam Urbis Carthaginis ruinam, quæ quanta fuit ignium mora probari potest, quippe quæ per continuos decem & septem dies vix potuit exstingui. Et quid peregrina adducam? Nobis domi proh dolor! abunde sunt, quapropter his contenti, quiescimus.

Membrum I.

De Vocabuli Incendii Homonymia & definitione.

SPinosam ac tristem materiam tractaturus haut abs re facturus videor, si aliis neglectis ipsam vocabuli indolem excutiam; sumitur vel propriè vel impropriè. Hoc modo incendio flammare dicitur Chimæra mons cujus meminit *Horatius lib. 4. Carm.* perpetuo mirus incendio: maximè ideò, si fides habenda Geographis, quod naturæ cursu invertente ignis ejus incendatur aquâ, exstinguatur verò terra aut fœno. Quia tamen de tali incendio sermo noster institutus non est, sed de propriè dicto, ideoq; diutius his immorari operæ pretium non erit. 1.

2. Priusquam autem ad alia descendamus, in hujus thematis instituto præmittenda Definitio ejusque explicatio. Quæ ad exemplum L. Aquiliæ esse potest. Quod sit damnum igne datum *Vultej. in Jurisprud. Rom. t. 49. de Commun. delictis.* Incendium sanè damnum esse plurimi magno suo malo edocti confirmant. Damni autem nomine non tantùm venit præteritum, ad quod recuperandum actio. L. Aquiliæ vel alia similis competat *l. 7. §. 1. de Dam. Inf.* sed & futurum quod aliàs dicitur infectum, quod ex opere vicini vel rebus ejus extimescimus sive ex vitio ædium sive operis ejus fiat, vel in loco urbano vel rustico *l. 19. §. ult. d. t.* Et potest non tantùm dominus sed & is cujus periculo res est. *l. 13. §. 8. d. t.* hoc casu si fortè vicinus ædificium vel fornacem struxerit cautionem exigere de resarciendo damno, si fortè periculum incendii subesse videtur. *l. 27. §. 10 ad L. Aquil.* Damnum potissimùm accidere potest vel personis vel bonis nostris.

3. Illis cum vel vita tollitur hominis *t. 1 ff. ad L. Cornel. de Sic.* vel pudicitia læditur. Libertati enim naturali repugnat qua nihil quisquam invitus pati ab altero cogitur in tantum, ut si tutus a damno irreparabili esse non potest, vi facta propulsare vim liceat. *l. 3. de J. & J. l. 1. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sic. l. 45. §. 4. ad L. Aquil.* His verò si vel prorsus auferuntur, quemadmodum fit in crimine furti consistit enim furtum consummatum in ipsa bonorum ablatione uti constat ex *Joh. Bonif. tr. de Furt. in expl. § 11. de oblig. quæ ex delict. nasc. l. 1. § ult ff. de Furt. l. 18. ff. de pœn.* Vel injuria & modo jure illicito diminuũtur, sic patitur jacturã rei suæ familiaris, qui usuras mordaces dilectionem proximi offendẽtes illegitimas solvere cogitur *l. 1. in pr. ff. de usur.*

l. 14.

l. 14. & 17. Cod. eod. ut & ille qui ex occisione servi vel animalis vel ex rebus inanimis frumento, vino, oleo, segete, domo corruptis vel combustis damnum sentit *l. 27. §. 6. 7. 8. ff. ad L. Aquil.* Adeoque omne detrimentum secutum à reo resarciendum erit *d. l. 27. & l. 1 ff. ad Leg. Aquil.* Si modo damnum dolo aut culpa tertii datum sit, ubi per culpam etiã intelligitur levissima *l. 44. ff. d. t.* damnum enim quod quis sua culpâ sentit, non sentire videtur *l. 203. de R. J.* imo si malus ejus animus appareat, nimirùm eo fine incendisse, quò combustis ædibus propriis ignis vicinorum quoque ædes arripiat, meritò ordinaria incendii pœna plectendus juxta *Const. Carol. V. Crim. art. 125. Magnific. Dn. Carpz. p. 4. const. 17. def. 2. n. 1. & seq.* Nec audiendus est, quamvis damnum resarcire velit cum hâc ratione facilè fraus legi inveniri possit nec transactio permittenda quippe quæ aliàs de crimine capitali inita objectum transactionis non est, inprimis jure hodierno in præjudicium Magistratus *l. 5. §. ult. ad L. Jul. de vi publ. l. 7. §. 14. de pact. Perez. C. de transact. n. 9. & prælaud. Carpzov. prax. crim. p. 3 quæst. 148. & p. 2. quæ. 80. n. 86.* Et si forte transigitur hoc tantum importat, non ut liberetur delinquens transactione à parte læsâ factâ, sed ei tantùm ignoscatur ne habeatur pro confesso, præsumaturque non conscientia sceleris sed potius gravitate periculi territus, ob litis odium & dubium judicii, eventum pecuniam adversario dedisse. *Wesenb. in Paratit. de Transact. n. 5. Bach. ad Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 5. Gœhausen Pericul. 6. Q. Acad. 47.* Quoniam autem diversimodè se habet incendium, prout proposito aut culpa delinquentis factum, non eâdem via est procedendum, & quemadmodum in rebus æstiman-

man-

mandis proportionem obſervamus ex communi functione *l. 33. ad L. Aquil. l. pretia 63. §. 2. ad L. Falcid.* ita etiam in delictis puniendis proportio delicti ac pœnæ habenda eſt, ut ne quid durius aut remiſſius ſtatuatur quàm cauſa depoſcit *l. 11. ff. de pæn.* Quo tamē expeditius fieri poſſit diſtinctione præmiſſa (qua incendium fortuitum, aliud culpoſum, aliud incertum, & aliud denique doloſum) ulterius hanc materiam perſequar.

MEMBRUM II.

De incendio caſu fortuito exorto.

1. SI qui igitur ſunt, quos excuſatos habeamus, vel quorum vicem inſita quadam naturæ vi doleamus, ii ſunt qui ex caſu fortuito haut minimum detrimenti ceperunt. Quibus & ipſæ leges ſuccurrunt indulgendo illis omnis generis beneficia utpote bonorum reſtitutionem ſi fortè novercantis fortunæ iniquitate jus ſuum perſequi non potuerunt. *c. Ex ratione 8. de Apell. arg. l. 38. in fin. Ex quibus cauſis Maj. 25. Ann. Nobiliſſ. Dn. D. Struv. Præceptor atque Patronus meus plusquam paterna devotione devenerandus Exercit. 8. th. 79.* Eſt autem caſus fortuitus inopinatæ rei eventus, qui prævideri non poteſt *l. 6. §. 7. de off. Præſid. l. 2. §. 7. de Adminiſt. Re. ad Civ. pertin. l. 6. C. de pignor. act.* Et procedit iſte vel ex extrinſeca nobis circa res vel in rebus contingente vi vel ex ignorantia invincibili uti ex violentia ventorum *l. 24. §. 4. de damn. infect.* terræ motu *l. 59. locat.* vi fluminis aut maris aut tempeſtatis. *l. 15. §. 2. locat.* In ipſa re caſus fortuitus evenit, ſi domus vel res depoſita naturali interitu perierit, niſi culpa vel facto ipſius domini

vel

vel depositarii præcesserit *Zas. Com. ad π. tit. 3. lib. 16. num. 18. vers. Quod attinet.* Denique facto hominum damnum fortuitum infertur, ut incursu hostium, Latronum, piratarum *l. 15. §. 2. Loc.* incendio in vicini ædibus orto *l. 18. pr. Commod.*

Simili modo inter casus fortuitos recensetur, si incendium causatum processerit ex facto Principis, vel alio quopiam, qui jus superioritatis habet; Veluti cum in cõmemorationem coronationis, vel diei natalis ignis artificiosus nomen vel insignia Principis exhibens aliter & præter omnium spem ille haut ex sententia fluxerit *arg. l. 11. ff. de Evict. Sebastian. Medic. in Tr. de cas. fortuit p. 11. q. 13. n. 6. vers. Item factum Principis & p. 2. quæst. 12. n. 23.* Imò quod majus est, potest Princeps pro absoluta sibi concessa potestate, tempore imminentis belli suburbia, aut alia loca haut longo intervallo ab urbe disjuncta, si è re totius Reip. esse videtur, incendio delere *Gæhaus. Per. 4. quæst. Acad. 29.* Idem dicendum de facto judicis ordinarii *l. 2. §. fin. ff. Si quis caution. in jud.* &c. nam quicquid evenit injustâ judicis sententiâ dicitur casu fortuito evenisse *l. 51. in pr. ff. de Evict. l. 67. ff. de fidejuss. & Mand.* Neominus fortuitum est, immissum, quando ab hostibus, aut inimicis nefariè immittitur: & toties præsumitur esse immissum, quoties in loco, in quo ignem fovere nõ consueverunt, initium cepit; vel si prius arsit à parte exteriori quam inferiori. *Lubl. Tract. de Incend. c. 2. n. 41.* 2.

Cum itaque hi casus omnes à fortunâ procedant, rectè dicuntur fatales *l. 5. §. 4. Commod.* vel à fortuna, ejusdemque vi dati *l. 8. in f. C. de Profess. & Med. l. 1. §. 11. de Magistrat. conveniend. l. 1. C. de* 3.

 Commod.

Commod: Imò non nunquam ejusmodi quidpiam fortuitum comprehendit periculum, *l. 4. l. 11. de Reb. Cred. l. 17. §. 1. & 2. de præsc. verb.* Sed non semper. Interdum enim periculo nostro res esse dicitur, cum tamen natura contractus nos tantum ad culpam & maximè levissimam præstandam obstringat, non ad casum sinistrum. *l. 13. §. 1. de lib. Caus. l. 40. Locat. l. 25. pro Soc. l. 14. §. 16. de Furt. Vinn. in Com. instit. l. 3. tit. 15. n. 4.* Plerumq; tamen qui periculum alicujus rei suscepit, casum etiam fortuitum in se recepisse intelligitur. cum periculum sit nomen generale & sub se complectatur omnem casum, qui cum, vel sine culpa contingit, *l. 10. in pr. & l. 14. de Pericul. & Com. Rei Vend. l. 5. §. 3. & 4. ff. Commod.* Et confirmat sententiam nostram *l. 79. ff. de Leg. 3. l. 4. C. de præscript. 30. vel 40. Ann.* quod generalis provisio tantum operatur quoad omnes casus, quantum specialis quoad quosdam. Non obstat nostræ sententiæ, *l. 37. §. 1. de Neg. Gest.* R. Illa lex loquitur de casu singulari, qui expresse à lege excipitur; & si non fuisset exceptus, dico eum sub periculo tanquam sub genere comprehensum fuisse. Huic controversiæ illa succedit, Numquid casus fortuitos in se recipiens insolitos etiam recipere dicatur. Et quanquam haut desint qui negativam amplectantur *Gail. l. 2. Observ. 23. n. 18. Hillig. in Donell. Enucl. l. 16. c. 3. in notat. ad lit. C. Trentl. disp. 29. vol. 1. D. 6. lit. b.* aliique plures, quos laudatus Autor d. l. recenset. Nobis tamen contraria sententia

4. magis arridet (1.) per *l. 9. §. 1. ff. Loc.* Ubi nihilominus merces est præstanda etiamsi vi majori quid acciderit, nec eâ gratia à pacto semel placito recedendum. Vis autem major includit omne damnum fatale, quod pruden-

dentia humana averti non poteſt. *l. 2. §. 4. & 5. Si quis caution. in ju. &c.* (2.) Ex eo quod probabile ſit, ut is qui caſum ſolitum, & frequenter contingentem ſuſtinere haut renuit, multo minus renuiſſe videatur rarò contingentem; cum ab hoc minus ipſi damnum & periculum quam ab illo immineat. (3.) quod oratio indefinita æquipolleat Univerſali. Et ita nobiſcum prælaudatus Dn. D. Struvius in ſuis *Exercit. ad ff. 13. d. 43.* videtur tamen differre à noſtro caſus planiſſimè inſolitus, ut quidã volunt. Jam in caſibus fortuitis indubitati juris eſt, quod nemo de iis teneatur §. *ult. Inſtit. Quibus Mod. Re contrah. oblig. l. 23. de R. J. l. 4. C. de Per. Tut. & Cur.* quæ regula perpetua eſt niſi (1.) mora caſum præceſſerit, *l. 2. C. de Per. & Com. R. Vend. l. 3. §. fin. de Uſur.* Moræ enim intervenientis hic effectus eſt, ut in modum pœnæ perpetuet obligationem, ita ut ſi res commiſſa morâ interierit, haut ſecus quam ſi res adhuc extaret, conveniatur. Ne ex mora ſua commodum aliquod ſentiat, *d. l. 3. §. fin. de Uſur. l. 23. §. 1. & l. 82. ff. de U. O.* Non ſunt tamen prætereundæ hoc loco duæ iſtæ limitationes, quarum (1.) niſi quis rem detineat juſta causâ ductus *arg. l. 21. de Uſur.* & (2.) niſi interitura fuiſſet ea res, etiamſi reſtituta eſſet actori, *l. 14. §. 1. Depoſ.* (3.) quia quemadmodũ contractus ex conventione partium legem accipiunt *l. 1. §. 6. ff. d. t.* Ita quoque conventio interpoſita facit ut promittentem damna fatalia ſequantur. *l. 1. §. 35. eod.* Hinc 5.
optimo jure *contractus aſſecurationis*, qui aliàs plurimis Dd. magni nominis inviſus, defendi poteſt in maritimis civitatibus perquam uſitatus, cujus Effectus eſt ut volens transvehere ſuas merces per mare, vel per terram, & timens periculum & jacturam illarum convenit cum

aliquo, pretio certo constituto, quo si res salvæ permanserint constituens pretium pro subeundo periculo solvat: & promittens si quid adversi contigerit æstimationem de suis rebus præstet *Stacc. Tr. de Commerc. & Camb.* *§. 1. quæst. 1. n. 131.* Nec fortunæ dubius eventus statim hunc contractum illicitum facit. Aliàs sponsio utpote si non majori, tamen eodem vitio laborans esset improbanda. Nec quicquam ad rem facit, quod hæc non sit toleranda, ideò quod eadem mala quæ ex ludo timentur: Ut jacturam patientis odium, occasio mortem optandi alterius, & alia multa incommoda, pleno quasi alveo profluant. Non enim est quur succenseat huic, sed sorti & suæ quisque facilitati imputet, si spe fallaci luditur. Neque hoc adscribendum naturæ contractus, quæ tendit ad lucrum & aliud quippiam optandum, sed potius malitiæ hominum. Et sanè idem nobis metuendum esset in Testamentis, fideicommissis, Substitutionibus, quæ nulla hujus periculi habitâ ratione vim suam retinent.

6. Peculiare & à supra posita regula diversum statuendum in possessore. Bonæ enim fidei possessor casum fortuitum non præstat, nisi mora post acceptum judicium interveniat, quod in causa fuit, cur actor minus cum animum alienandi habuerit, alienare potuerit *l. 21. §. fin. de R. U. M. fid. Pos.* cum & hic regulariter non præstet, post acceptum tamen judicium indistinctè tàm ad rei reparationem *l. 40. pr. de Hæred. Petit. l. 14. §. 11. Quod metus causa.* quam ad fructus, usque ad rei judicatæ tempus refundendos tenetur, *l. 17. §. 1. l. 33. d. R. U.* Fures autem raptores & similes quasi duplices malæ fid. possessores semper & quovis tempore; propter ma-

lam fi-

lam fidem moram facere intelliguntur *l. 8. §. 1. & l. 20. ff. de cond. Furt.* Ideoque ad æstimationem quocunque tempore plurimi fuerit cum interesse præstare sunt adstricti. *d. l. 8. §. 1. & d. l. fin.* Non possum tamen quin 7.
adjiciam quæstionem istam satis controversam. Si venditor sibi pro assecuratione pretii dominium rei, puta domus reservârit & res incendio perierit, ad quemnam damnum pertineat? Et cum in utramque partem speciosæ rationes, autoritates, & præjudicia haut infimi subsellii virorum adsint, argumenta tàm affirmantium quàm negantium in medium afferemus, Sententiam nostram in discursu expposituri. Sit itaque negantium (1.) quod pereat res suò domino *l. 9. C. de pign. act.* Jam ille qui sibi reservavit rei dominium est dominus. 2. quod hâc ratione conditionalis videatur contracta venditio, quâ cessante conditione ipse etiam contractus cessat, & proinde periculum pertinet ad illum, qui primo rem vendiderat, *l. 8. pr. ff. de peric. & com. re vend.* (3.), quod in concursu creditorum ubi habet jus prælationis tanquam Dominus proprietatis ita quidem ut cæteris creditoribus omnibus præferatur: *l. 19. §. 8. de act. emt.* Contraria tamen sententia quibusdam Dd. verior videtur, firmata his potissimùm rationibus. (1.) *leg. 80. §. fin. de contrah. emt.* ubi habetur, quod nemo possit videri eam rem vendidisse de cujus dominio agitur, ne ad emtorem transeat. 8.
Si igitur nostro casu intercessit venditio, ut revera intercessit, necesse est dominium ad Emtorem transiisse, & per consequens res perit emtori tanquam domino. *d. l. 80. §. fin.* Quam (2.) sententiam ipse amplecti videtur Imperator *§. 3. Instit. de emt. & vend.*

 cum

cum ait qui nondum rem tradidit, quod adhuc sit Dominus circa finem; & tamen in principio inquit quod periculum rei venditæ statim ad emtorem pertineat, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. *l. 1. §. ult. de resc. vend. l. 8. l. 11. de per. & com. rei vend.* Accedit huic sententiæ *l. 13. §. 22. de action. emt.* Ubi emtor servi, qui ante traditionem sine culpa venditoris mortuus fuerat, non solum ad pretium solvendum, sed & ad sumtus, qui in ejus curationem & sepulturam facti sunt, tenetur. R. *Non obstat l. 9. C. de pig act.* cum concedunt rem perire suo domino, quatenus nimirùm ex omni parte utilitatis scilicet & proprietatis est dominus, quod tamen de venditore casu isto dici nequit. Nec secundum argumentum istam destruit sententiam, nulla enim hic subest conditionalis venditio. Venditor enim tantummodo loco hypothecæ dominium sibi reservare voluit, præsertim si emtorem obæratum metuit. Non igitur illa verba quâ quis dominium reservavit secundum literam sunt accipienda quasi ex omni parte dominus manserit. Neque (3.) impugnat istam sententiam, tractat enim *d. l. 13.* quomodo venditori consulatur, si plures personæ concurrant, quatenus ipse emtor obstrictus fuerit. Operatur. E. tantum, nimirum ut securior hic sit venditor & ipsi per hoc jus prælationis conservetur.

Membrum III.

De Incendio culposo.

Quoniam isti casus qui cum culpâ conjuncti esse solent, inter casus fortuitos non sunt numerandi, Ut sunt

sunt furta *l. 52. §. 3. pro Soc.* & incendia intrinsecus orta *l. 3. §. 1. ff. de off. praef. vigil. l. 11. de Per. & Com. Rei vend.* Culpa autem diversimodè sese habet, qualitas enim facti & circumstantiae semper augent & minuunt culpam, ideoque etiam poena vel exasperatur, vel minuitur, pro ratione culpae, sine quâ nemo est puniendus. *l. 22. pr. C. de poen.* Sic lex ante promulgationem non obligat eum, qui scit eam esse conceptam, ne sine culpa sineque fraude puniatur is, qui ante legis prohibitionem & promulgationem contra legem quid fecit. Culpa in genere sumta includit fraudem, & quodvis factum illicitum. In specie considerata est omissio debitae diligentiae per negligentiam & imprudentiam facta. Committitur ista vel faciendo id, quod diligens non faceret, vel non faciendo id quod diligens faceret, & proinde culpa alia est commissionis, alia omissionis, *l. 121. de R. J. l. 91. §. 1. de V. O. l. 50. de R. J.* Sed ut diligentiae ita & culpae diversi sunt gradus, cum plerisque tamen Dd. non nisi tres agnoscimus, Latam, Levem, & Levissimam, & hos quam poterimus brevissimè percurremus, longam enim orationem de hac materia contexere nostri non est instituti. Est igitur culpa lata, cum quis non intelligit id quod omnes intelligunt *l. 226. d. V. O. l. 32. ff. Depos.* Hanc culpam alii distinguunt in culpam ignaviae & versutiae. Quod illa sit crassa & supina negligentia & rusticitas quaedam, cum quis in suis rebus paritèr & in alienis negligens existit. *Vid. l. 3. in f. de susp. Tut.* Haec verò quae ex versuto & malo animo oritur, quando quis óptimè suis rebus prospicere potest, in alienis autem negligentior & versutior versatur. Et haec plerumq; dolo aequiparatur. *l. 32. depos. l. 226. d.*

V. S.

V. S. Rittersh. in Com. ad Inst. tit. de susp. tut. Mynsing. in §. suspectus eod. Quam distinctionem cum præl. *Dn. D. Struv. Exerc. 13. D. 19. & Vinn. l. 3. Com. Inst. tit. 15. n. 11.* rejicimus, cum nulla culpa ortum suum trahat ex versutia, sed omnes ex negligentia & re penitùs excussa, culpa versutiæ nihil aliud esse videtur, quam dolus & malitia. Inde fluit, quod lata culpa in contractibus dolum includat, illique sit quasi consanguinea. Vix enim est, ut doli suspicionem effugiat, qui non intelligit, quod omnes intelligunt. Quo tamen dicta ad nostram materiam substratam applicemus; delinquit contra illam is, qui locum ignis fovendi & braxandi gratiâ destinatam stramine, fœno, cannabe replevit, & sic incendio causam præbuit. *arg. l. 8. §. ult. l. 29. pr. Mand.* In eadem culpâ hæret, qui flante præter solitum vento stipulæ suæ comburendæ ignem admovit, ignis verò vi ventorum ulterius evagatur, adeoque domui vel segeti vicinæ damnum infert, *l. 30. §. 3. ad L. Aquil.* quod si die tranquillo peregisset nihil ei imputandum esset, *d. l. 30.* Absit enim ut, quæ propter bonum ac licitum facimus, & si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali accidit, nobis imputetur. *c. dilectus x. de homicid.* Cum itaque in modò enumeratis factis magna negligentia resideat, non dubitamus quin non tantum ad damnum & interesse resarciendum, *l. 28. §. 12. d. pæn. l. 30. §. pen. ad L. Aquil*, sed etiam criminalitèr ad vindictam publicam exercendam convenire possimus. Ex quovis enim delicto sive privato, sive publico duplex judicium nascitur, *l. fin. ff. de privat. delict. & l. fin. ff de furt.* Et liberum est unicuique à quo velit inchoare, *l. un. C. quando*

act.

Act. Civ. Crim. praej. Quod est verum quando civilis actio persequitur rem familiarem, *d. l. Un.* & tendit ad diversos fines, si altera actio rem, altera actio poenam persequitur *l. 7. §. 1. de Cond. Furt.* Si vero utraque tàm civilis, quam criminalis tendit ad vindictam, sententia lata in una actione, parit exceptionem in altera *l. 7. §. 1. de Injur.* Quam sententiam etiam confirmare videtur *Wesenbec. ad ff. de Incend. ruin. Naufr.* dùm asserit, se meminisse pro lata culpa relegationem incendiario impositam fuisse. Putamus tamen ita demum procedere, si incendiarius sit vilis persona, & incendium ita magnum extitisset, ut de damni restitutione quivis desperare possit. *l. 9. ff. de Incend. ruin. naufr.* & *l. 11. ff. d. t.* Atque ita rectius agunt illi, qui hoc in casu poenam arbitrariam esse dicunt, *Berlich. p. 4. conclus. 25.* Sed quia non tantùm culpa lata, quae in omnibus contractibus est praestanda, *d. l. 23. de R. J.* Sed & levis pro cujusque naturâ contractus poenam aliquam meretur, videbimus de reliquis duobus culparum gradibus. Est autem culpa levis quâ quis non facit, quod quivis Paterfamilias diligens & idoneus facit. *l. 10. de Administ & peric. Tut. l. 35. §. 4. de Contr. Empt.* Huic culpae obnoxius est, qui negotia sua expediturus, pueros qui fortè nesciunt, quid distant aera lupinis, cum candelâ domi solos detinet, & isti prout mos ipsorum fert, imprudenter in amissione alicujus rei usi sunt, & fortè fortuna incendium dederunt. Idem dicendum de eo, qui in camino purgando negligentem sese exhibuit, vel caminum ita depressum construxit, ut tectum altitudine non superet, vel prorsus non attingat. Ex cujus vitio tàm suae quàm vicinae aedes in cinerem sunt redactae, *arg. l. 11. d. Per. & Com.*

R. H. Cum igitur hoc incendium adhibita consueta boni Patrisfamilias diligentiâ potuisset praecaveri, meritò ad damni emendationem cum interesse rerum omnium incendio consumtarum adstringitur, *l. 9. & l. 11. de incend. Rui. nauf.* Quod tamen communiter Dd. non sine ratione & summa aequitate restringunt, ita ut si mora interveniat causata à casu adverso, qui sufflaminat obligatum, excuset eum à morâ, & ab interesse lucri cessantis; secus tamen se res habet quoad damnum universale alteri emergens, quia damnum emergens efficacius debetur, quam lucrum cessans ut vult *Sigism. Scacc. d. tr. §. 1. quaest. 7. p. 2. Ampl. 8.* An autem praeter damni emendationem is, cujus culpa levi incendium excitatum etiam alia poena criminali fisco applicanda, puniatur, Disquiritur. Sunt qui distinguunt, aut levis culpa consistit in omittendo, & non punitur nisi ad aestimationem damni, aut consistit in faciendo & tunc punitur. Quam distinctionom rejicit *Berlich. p. 4. conclus. 25. n. 23.* indistinctè sive culpa levis consistat in faciendo, sive in negligendo fisco poenā applicans. *per l. 28. §. 12. ff. de Poen.* Quid autem si levissima culpa incendium sit ortum ? & eum, si modo natura contractus permittit, non amplius praeter damni incendio illati reparationem obligari expediti juris est, *l. 9 vers. si vero. ff. de Incend. Ruin. Nauf. d. l. 28. §. 12. subs. ff. de Poen.* Definitur verò culpa levissima quod sit omissio diligentiae exactissimae seu talis diligentiae, qualem alius diligentissimus quisque adhibuisset. *l. 18. in pr. ff. Commod. l. 1. §. 4. de oblig. & Act.* hujus culpae commissae Exemplum proponitur *in l. 27. §. 9. ff. ad Leg. Aquil.* Ubi servus fornicarius apud fornacem obdormivit, & villa fuit exusta. Nec eo nomine excusandus,

dus,

dus, quod dormiens humanū quidpiam & naturale passus fuit, dum in non exstinguendo vel non muniendo eam culpam admisit, in quam vir diligentissimus & sagacissimus non incidisset *d. l. inf.* Etsi vero certissima juris definitione culparum gradus deprehendi fortè nequeant, sed potiꝰ judicis arbitrio relinqui debeant; nobis tamen hi, qualescunq; sint, deprompti ex his fundamentis sufficiant. Hic in genere est sciendum, quod ad refusionem agens debeat probare, quá culpa vel lata vel levi vel etiam levissima sit excitatum per tritam juris Regulam, quod Actori incumbat probatio. §. *4. Inst. de Legat. l. 2. de Probat.* & omninò necesse est ut priusquā quis condemnetur, doli aut culpæ nomine convictus sit. *l. 4. C. de Edend. L. 6. C. de dol. Mal.* aliàs pro eo semper militat præsumtio, quod nihil de debita diligentia remiserit, si modo prius fuerit homo probatæ fidei & diligentiæ *l. 5.* §. *6. de Re mil. Schultz. in Synops. Inst. ad L. Aquil. lit. (d) Treutl. part. 1. disp. 18. D. 8. lit. (c).* Nec statim à Domino præstatio damni exigi potest, præsertim si servus in causa est *l. 11. de Per. & Commod. R. U.* cui sæpenumerò Dominus usum, qui speciem damni præ se fert, interdixerit, servus tamen his neglectis extra officium suum suo remigio rem gessit. Culpa enim caret, qui scit, sed prohibere non potest. *l. 50. de R. J.* & excusat eum diligentia exactissima, ultra quam non tenetur. Quam, si forte necessitas suadeat, per domesticos. *l. 1.* §. *6. C. de Repud.* imò per fratres & alios propinquos probare potest *l. 3. C. de Naufr.* Si aliter veritas haberi non potest, *l. 7. ff. de Testib.* qui tamen aliàs ob ingentem suspicionem excluduntur *l. 6. ff. de Testib. l. 3. & 6. C. eod.*

Dominus tamen quandoque obligatur ex facto servi, si civiliter agitur, si forte circa officium à Domino demandatum delinquit *arg. l. 5. §. 11. ff. de Inst. Act. l. 27. §. 9. ad. Leg. Aq. l. 1. C. ad Leg. Jul. Repet.* Quia domini diligentis est, bonos servos ad suum Ministerium eligere & explorare, an probatæ fidei & innocentiæ sint, quos operis suis adhibere solet *l. 3. ff. de Publ. & Vectig. l. ult. §. 4. Naut. Caup. stab.* alioquin mala electio famulorum negligentiæ annumeratur, *d. l. 27. §. 9. ad L. Aquil.* Eodem modo conductor, qui rem conductam ultra præfinitum tempus vel detinuit, vel possedit, ipso locatore contradicente; damnum incendio ex culpa famulorum datum, propter supervenientem malam fidem resarcire tenetur. *l. 4. in pr. de Furt. l. 16. & l. fin. ff. de Cond. Furt.* cum fructibus omnisque causæ nomine à tempore, quo supervenit mala fides *l. 68. ff. de R. V.* ac contra eum juratur in litem *d. l. 68. §. 1. & l. 2. de Jur. in lit.* nisi actor malit quanti res sit, condemnari *l. 71. eod.* Nec liberat eum ab hoc, quanquam diligentiam exactissimam adhibuerit, ad quam regulariter non tenetur. *d. l. 23. de R. J. l. 5. §. 2. ff. Comm. §. ult. Inst. Quib. mod. re contrah. obl.* Nec *obstat. l. 25. §. ult. ff. Locat.* illa enim loquitur non de locatione rerum, sed operarum, in qua etiam præstanda culpa levissima. Hic data occasione quæstio illa moveri potest; An is, qui durante incendio, quò illud facilius exstingui possit, ædes proximas demolitus est, damnum datum vel ipse, vel vicini, in cujus gratiam factum, emendare cogantur. Et cum ille justo metu ductus id fecisse censeatur, prorsus ab actione L. Aquiliæ merito exemtus est, sive eò pervenit ignis sive ante exstinctus sit. *l. 49. §. 1. ad L. Aquil.* Hi vero cum

in sa-

in salutem eorum domus diruta fuerit, merito damnũ destructæ domus resarcire tenentur *l. 1. & l. 2. ad L. Rhod. de jact.* si modo ignis quoad domum dirutam non pervenisset. *l. 7. §. 4. quod vi aut clam. Treutl. disp. 18. th. 8. lit. b. vol. 1. Harprecht. ad §. 13. Instit. ad Leg. Aq. n. 6.*

Huic quæstioni succedit: Num Princeps, vel Senatus tempore imminentis belli suburbium haut procul ab Urbe dissitum possit incendio absumere? Supra asserui *membr. 2. n. 2. l. 6. l. 14. l. 17. de operib. publ.* & experientia abundè testatur. Quo tamen casu æquitati consentaneum, ut pretium domino ædium publicæ salutis conservandæ gratiâ dirutarum ex publico solvatur. *arg. l. 2. ad L. Rhod. de jact. Gail. 2. obs. 56. num. 2. & seqq.* Unde in ejusmodi casu Dn. Scabini Hallenses consulenti Mens. Jan. 6. responderunt: Wenn die Mühle der Stad B. zum Besten und mehrern Schaden abzuwenden in Brand gestecket: So were die Stadt B. euch denn durch abbrennung der Mühle erlittenen Schaden zuersetzen schuldig. &c. nisi quis spatium, quo vicinæ ædes inter se vel etiam ab operibus publicis distare debent, occupavit *l. ult. fin. Reg. l. 9. l. 11. & l. 12. §. 4. de ædif. priv.* Quod facere videntur ii, qui ad mœnia, vel prope civitatem inconsultò ædificant: Quorum ædes ingruente belli necessitate, vel propter hostium, vel propter metum incendiorum publicâ autoritate meritò destruuntur. *Prælaud. Dn. D. Struv. in Disp. de Jur. Priv. ædif. pro loco habita θ. 68.*

MEMBRUM IV.
De Incendio incerto.

CUm autem non nunquam contingat, ut quum ædes ita sunt contiguæ, vel plures personæ eandem domū inhabitant, unde in quibus ædibus ortum, aut cujus culpa incendium causatum, constare non possit. Ac proinde omnis actio damni incendii dati recuperandi cesset *arg. l. 45. §. 3. ad L. A.* optime sibi suæque conscientiæ consulit magistratus, si memor officii sui demandati, diligentissime, cum in culpam certi hominis sine quo sententia condemnatoria ferri nequit *l. 6. §. ult. ff. Naut. Caup. Stab. ut recept. rest.* tum etiam quæ ædes prius flammis ardentibus conspicuæ fuerunt, inquirit, Non expectata accusatione aut denunciatione, cum evidentia patrati sceleris non indigeat clamore accusatoris, aut denunciantis *c. 9. x. de Accus. Inquisit. & denunt.* Nec opus est subscriptione, ideo quia Judex accusatoris partis suscipit, sine quibus judicium consistere non potest *l. 6. § 2. ff. de Munerib. & Hon. l. 3. de Accus. & Inscript.* Cum temeritas calumniandi procul absit, ac ita cesset pœna calumniæ, cui tacitâ quadam sponsione accusator sese olim obstringebat, ut vellet idem supplicium, si causa caderet subire, quod reus vera accusatoris delatione veraque comprobatione sustulisset *l. 7. & l. ult. ff. de Calumn.* qui inscribendi mos cum nimis rigid9 esset, exolevit. Ne tamen prorsus impunè ferat calumnians, in expensas, damna, & interesse damnatur. Et pro delicti qualitate pœna arbitraria infligitur, ut cœteri simili pœna perterriti non facile ad accusandum prosiliant *Zæs. ad ff. de Accusat. & Inscript. num. 33. Magnif.*

D. D.

D. D. Ungepaur. in prælect. publ. ad Libr. Decretal. tit. 2. de Calumniat. ibique ad fulciendam suam sententiam adducit *c. 1. ejusd. tit.* in quo Subdiaconus calumniose accusans Diaconum Subdiaconatu privatur & publice verberibus cæsus in exilium mittitur.

Ne tamen præter modum his immorer, majoris evidentiæ gratia ad definitionem inquisitionis me confero, quæ est: Quod sit legitima Judicis ex officio procedentis super delicto informatio. *Prælaud. D.D. Ungepaur.* Et potest Judex inquirere, vel generaliter an delictum revera commissum, & à quo sit commissum nemine nominando; Vel specialiter in delicti modum & personam certam. Antequam autem ad hanc perveniat, Judici cautè est procedendum, ne de delicto quovis etiam minimo statim per viam inquisitionis procedat *l. 6. ff. de Accus. & Inscript.* cum graviter hominis famam sugillet & non nunquam pro delicti qualitate infamet *l. 7. ff. de Publ. Judic. l. 1. ff. de his qui notantur infam* §. 2. *Inst. de Pœn. tem. litig.* Nec cuivis rumori incerto fidem habeat *l. 11. C. de Testib.* sed diligenter percontetur, num criminosi, malevoli, inimici ex odii fomite propalaverint, quibus leges omnem denegant fidem & fores judicii præcludunt *l. 3.* §. *5. ff. de Testib. l. 17. C. eod.* num verò habiles & omni exceptione majores, in quos talis suspitio non cadit hujus famæ autores extiterint *l. 5. C. Eod.* Nam ut olim per nunciationem crimina investigabantur, in quam rem utebantur magistratus irenarchis; ita & hodie inquisitio instituitur fama publica denunciante, vel aliis legitimis indiciis urgentibus *l. 6. ff. de Cust. d. & exhibit. Reor. l. 6.* §. *3. ad SCtum Turpil. l. 7. & 17. de Accus.* De reliquis ad inquisitionem pertinentibus

bus *vid. Jodoc. Damhoud. in Prax. Rer. Crim. c. 8. n. 9. 10. & seqq.*

Ejusmodi præsumptionem nostræ materiæ haut inconvenientem suppeditat *l. 3. §. 1. de Off. Præf. vigil. l. 11. ff. de peric. & com. rei vend.* in quibus dicitur, quod non casu, sed culpa inhabitantium incendium emersisse præsumatur. Qualis autem culpa hic intelligatur Dd. non conveniunt. Sunt qui textum de levissimâ accipiunt, inter quos familiam ducunt *Farinac. quæst. 110. cap. 2. n. 92. & cap. 3. n. 127. Berlich p. 4. conclus. 25 n 77.* ibique multis Dd. autoritatibus confirmat eam, quæ in omittendo consistit. *Berlich. d. l. n. 83.* Quæq; sententia in praxi est recepta. Si tamen ipsas leges inspicimus, non possumus quin texx. istos loqui de levi culpa, asseramus. Quotiescunque enim *(1.)* culpa sine additamento ponitur toties intelligitur levis arg. §. *3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. 72. ff. pro Soc.* Hoc etiam *(2.)* colligi potest ex sequentibus verbis *d. l. 3.* ubi JCtus simul pœnam adjicit, dum dicit, fustibus castigat eos, qui negligentius ignem habuerunt.

Unde illud promanare videtur, quod de consuetudine observatur; ut, quam primum exoritur incendium, homines domum combustam inhabitantes deprehendantur, carceri includantur & inquisitioni præserventur. Habito tamen respectu personarum ita, ut huic ignominiæ eximantur personæ privilegiatæ, puta LL. & aliarum facultatum Doctores, ut & ii, qui in summo gradu honoris cōstituti, qui tam exuberanti privilegio gaudent, ut pro crimine incarcerari non facilè possunt, multo minus ob debita pecuniaria, si quæ fortè emergunt, creditori in manus tradi, vel in publicum carce-

rem

rem conjici possunt, uti communiter Dd. tradunt ad *l. 6. C. de Profess. & Med.* Quo privilegio & honestæ matronæ utuntur, ita, ut nec ex causa publica carceri mancipentur. Sed debitum civile ex eorum bonis solvitur, si crimen gravius commiserunt, præstita cautione juratoria vel fidejussoria de judicii observatione *Auth. hodie C. de custod. reorum. Zas. n. 10. d. t.*

Non minima sanè præsumptio est contra eum, 2
qui monitus à vicino, cui mens incendium præsagit, ut sese diligentiorem in igne custodiendo exhibeat; vel sibi à replendo aliquo loco caveat, ille tamen his omnibus neglectis antiquo more rem gerit, neque ab opere cœpto desistit. Sic levi culpa præsumitur incendium ortum, si eodem tempore flante vento vel loco incongruo gramini inutili & arido ignem admoverit, ac exinde incendium causaverit. *Berlich. p. 4. concl. 25. num. 93.* Quæ præsumtiones contrariis præsumptionibus & probationibus tolluntur *l. fin. C. Si min. se maj. dix.* & pro reo militat præsumptio , quod nunquam à solita diligentia (si aliàs fuit diligens) vitæque innocentia recesserit *c. 3. & c. fin. x. de præsumpt.* Et si neget incendium factũ ab onere probandi sese liberat modo sit pura negatio *l. 23. C. de probat. & præsumpt.* Secus est in tali quæ includit affirmationem *l. 8. ff. de præsumpt. & probat.* vel quæ circumscripta est loco, tempore, aut alia circumstantia. Ut si quis in nostro casu Titium incendii accuset; & se eo tempore peregrè absfuisse, affirmat; tunc illi vel per testes vel per scripturã probare incumbit *l. 14. C. de Contrah. & Com. Stip.* Eodẽ modo se eximit à præsumptione, dicens se nunquã eo loco, quo incendiũ emersit ignem fovisse vel aliis ad ignem inferendum patuisse. Et potest Judex ex præsumptionibus istis vel condemnatoriam,

vel absolutoriam sententiam ferre; sive sint præsumtiones juris de facto, quæ probationis vim obtinent, quaten⁹ eas non destruit cõtraria probatio: sive præsumtiones juris de jure, quæ tanti sunt roboris, ut ne quidem contrariis præsumptionibus aut probationibus vi sua destituantur, quia super ejusmodi præsumptionibus lex firmum jus statuit, eas habendo pro veritate, *Hahn. ad Wes. de præsumpt. n. 15.* Et dubiũ nõ est, quin causa in primis nocturni incendii, per conjecturas, indicia & verisimilia probari possit. Imò interdum hæc ita sunt comparata, ut ad torturam sufficiant *l. 18. §. 1. & 2. l. 22. ff. de quæstion. Constit. Carol. V. art. 25.* Ejusmodi (1) indicium ad torquendum erit unicus testis omni exceptione major, qui vidit incendiarium prope domum oberrantem, cum igne, scopis, paleis, & simili instrumento apto ad comburendum.

(2.) Sufficiens ad torturam indicium faciunt minæ: Veluti cum quis incendium alicui ex inimicitia aut odio minatus fuerit. Ita Ich wil dir einen rothen Hahn auff dein Haus setzen/ modo id probare possit per duos testes, ut vult *Lubl. in d. tr. c. 3. n. 21.*

MEMBRUM V.
De Incendio Doloso.

Reliquis omnibus iniquiores sunt illi, & prorsus omni commiseratione indigni, qui studio dataque opera aliorum domos, quas natura sagaciter excogitavit ad tutandos homines ab imbribus, à tempestatibus, & à reliquis cœli injuriis, malitiosè incendunt. Quæ tamen omnium etiam Ethnicorum suffragio tanta religione

gione

gione sint munitæ, putantium, Deos penates inibi sedem suam fixisse. Ad quas unusquisque civium tanquam ad aram & asylum confugiebat, haut immemor, inde abripi pro more Romanorum nefas esse. *l.18.ff. de in Jus voc.* Quæ omnia dolosus incendiarius, invidia, vel spe lucri ductus, neque Deum neque ejus iram quam certò certius sui delicti experietur vindicem, flocci pendit. Quo tamen omnia cœpto ordine peragantur. Sit definitio, Quam tradit Servius *in l. 1. §. 1. de dol. mal. quod dolus sit machinatio quædam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, aliud agitur.* Non tantum dolo is facere dicitur qui animum decipiendi habet *l. 6. C. de dol. mal.* ut fit in delictis *d. l.* & hoc sensu vis dolus est, *l. 2. §. 8. v. bon. rapt. l. 14. §. 2. Quod Met. caus. Magnif. Dn. D. Frantzk. ad tit. de dol.* Sed & is qui Imperio Magistratus non obtemperat, vel contra leges aliquid committit *l. 12. de dol. mal. & met. except. Perez. in Cod. de dol. mal.* Et ipsa naturalis ratio, imò ipse Deus à quo potestatem accepit, scilicet ut inferiores Superiorum subsint Imperio, exigit.

Id quod etiam considerantes nostræ leges, gravissimas variasque incendiariis pœnas dictitant, quo temeraria incendendi libido coërceatur. Nonnunquam enim incendiarius, si sit vilis persona, & incenderit in civitate, igne necatur. *l. 9. & l. ult. ff. de incend. ruin. Naufr.* Si verò sit nobilis, & in villa incendium factum, mitior pœna est infligenda. *d. l. ult. & l. 28. §. 12. de pæn. Damhoud. in pr. rer. crim. c. 105. n. 3. 4. & seqq.* Eandem cum his pœnam merentur ii, qui super incendio faciendo, cum materia incendio apta cum igne, fœno, pulvere bombardico sunt deprehensi. Nec non hi, qui cum 1

iis conspirárunt, eosdemque receperunt *arg. §. 5. Inst. de publ. judic. l. 1. § 3 ff ad L Corn. de Sic.* Neque necesse est, ut ultimus actus, qui à delinquente perficiendus est, intercedat: Sed sufficit actus remotus, animusq; incendendi commissus, ad poenam infligendam. *d. §. 5. & d. l. 1. §. 3. d. t. & l. 7. C. eod.* Verum licet hoc jure civili obtineat: Hodiè tamen omnium locorum generali consuetudine abolitum esse, plerique Dd. uno ore testantur. *Wesenbec. in tr. ad Leg. Cornel. de Sic. n. 16. Berlich. p. 4. conclus. pract. 10. n. 18.*

2 Sed diversa ab hac de Jure Canon. poena statuta est in hujusmodi farinæ homines: Incendiarii enim excommunicantur, & sepultura Ecclesiastica privantur *can. 32. c. 23. q. 8.* Ubi Innocentius II. generaliter constituit *dicens:* Pessimam siquidem & depopulatricem & horrendam incendiariorum malitiam autoritate Dei omninò detestamur & interdicimus. Si quis ergo post hujus nostræ prohibitionis promulgationem malo studio sive pro odio sive pro vindicta ignem apposuerit aut apponi fecerit, aut appositionibus auxilium & consilium scienter tribuerit, excõmunicetur; & si mortuus fuerit, Christianorum careat sepulturâ, nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit secundùm facultatem resarcto, juret se ulterius ignem non appositurum. Poenitentia autem ei detur, ut Hierosolymis aut in Hispania per annum integrum permaneat. *Add. c. 2. & c. 5. de rapt. incend. & viol. Eccles. Praland. Magnif. Dn. D. Ungepaur, Praceptor atque Patronus meus plurimum devenerandus in dd. pralect. publ.* Si autem incendium hoc sine dolo non committitur *arg. l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sic.* res expedita est. Infantes & furiosi à poena incendiaria

pror-

prorſꝰ abſolvũtur, cum illos innocẽtia conſilii tueatur, hos fati infelicitas excuſet, *l. 12. ad L. Corn. de Sic. l. 9. §. ult. ad L. Pomp. de parrid.* Et quod dictum eſt de infantibus, procedit etiam de infantiæ proximis, *l. 111. de R. J.* non itidem in minoribus & pubertati proximis *d. l. 111. & l. 23. de furt. l. 1. verſ. impuberes C. de falſ. monet.* Quãvis in plurimis cauſis in integrum reſtituantur, *t. t. de integr. reſtit.* In delictis tamen his non ſubvenitur, cum fruſtrà legis auxilium imploret, qui contra eam committit. Verum licet ordinaria pœna ceſſet, non tamen pênitùs abſolvuntur. *d. l. 37. §. 1. de Min. l. 105. de R. J Weſenb. in ff. ad Leg. Corn. de Sic. n. 25. & ſeqq.* Furioſos quod attinet cum & hi omnis doli ſint expertes, *d. l. 12. ad L. Corn.* merito etiam ab hac pœna ſunt liberi *l. 14. ff. de offic. Præſid.* cum ſatis ipſo furore puniantur neque afflictis addenda afflictio. *d. l. 14.* Num autem, & quomodo furioſus ob incendium ante furorem commiſſum puniatur, controvertitur. Et cum puniri tàm civiliter, quàm criminaliter, ex plurib. texx. patet: & quidem ita ut nec mutetur aut mitigetur pœna ſed ordinaria imponatur. *l. fin. C. §. 5. de cur. furioſ. l. 14. de Off. Præſid.* An autem furore adhuc durante ultimo ſupplicio affici poſſit, altioris eſt indaginis. Et cum ſemper ſpes ſanioris mentis ſupereſſe videtur. Quidam ſtatuunt, pœnam ob periculum animæ quod ſubeſt, eſſe differendam donec ad ſanam mentem redierit ut peccata ſua confiteri ante executionem poſſit, ac interea ſuis ſumtibus eſt ſuſtentandus, ſi qui illi ſint; ſi verò non habeat unde vivat, de publico alendus, diligenterque cuſtodiendus erit *d. l. 14. Gœb. Peric. 6. quæſt. Acad. 33.*

Non eſt autem reus incendii præter corporis affli-

ctivam adhuc restitutione damni onerandus; cum illæ leges omnes, quæ de restitutione damni agunt utpote *l. 9. de Incend. R. N. l. 28 §. 12. de pœn.* loquuntur, nō de incēdio dolo dato, sed de tali quod ex negligentia quadā exortum est. Ne tamen in perpetuum ædes desertæ jaceant: Et juris ratio non deformandi ruinis Urbem publica sit, *l. 20. §. 10. de Nov. Op. Nunt.* ac simul aliorum civium maximè intersit vicinas ædes restitui: nec in aliam faciem, in hortum, converti *l. 3. C. de Ædif. Privat.* Ædificia enim collapsa, ipsius Reipublicæ ruina insequitur. Potest Magistratus ad illa reficienda tàm incolas quàm Curiales compellere, adversus detrectantes competenti remedio auxilium ferre debet *l. 7. de Offic. Præsid. l. 8 C. de Ædif. priv. l. 46. in pr. de Damn. Inf.* Quod si verò res angusta domi obstaret, quo Dominus ædium minus reficere possit; debet cogi ad vendendam aream alteri, qui in bene lauta & aucta parte est cōstitutus *arg. l. 8. & 9. C. de Ædif. publ.* Sin autē emtorem non reperiat, licite potest à republica tantum petere, quantum ad reparationem ejus sufficiet, *Specul. tit. de Satisdat. §. Est quoque.*

Cæterum post exusta ædificia idem jus remanet,
4 quod domino fuit ante combustionem? Cum area remaneat quæ est maxima pars domus *l. 98. §. 8. de Solut.* & est principale sine quo ædificium esse & subsistere nequit; atque ita in solum & aream tanquam maximam partem ædificii quasi penetrat. Sic etsi domus pignori data, vel vendita, exusta sit, nihilominus tamen creditori & emtori jus salvum manet, ut possit bona fide inædificantem refusis sumtibus possessione ejicere *l. 29. §. 2. de pign. l. 21. de pign. Act. l. 21. in f. d. Hered. vel Act. Vend.* Secus tamen est, si alicui tantum commoditatis causa aliquod

liquod jus competit, ut usufructuario, vel usuario ædium, quorum jus potius in superficie consistit; Tunc sublatis ædibus, simul jus auffertur §. *3. Inst. de usufr. l. 5. §. 3. quib. mod. usufr. amitt.* & quidem adeò, ut nec areæ nec cæmentorum ususfr. vel usus debeatur, *d. §. 3. inst. & d. l. 5. §. 2. d. t.* Etiamsi domus combusta sit restituta, *d. l. 10. §. pen. d. t. Garf. tr. d. expens. & meliorat. c. 11. n. 19.*

5 Denique notandum, quod actio incensarum ædium elidi possit præscriptione viginti annorum, computanda ab ipso die commissi criminis, quæ præscriptio, nisi aliud quid de jure definitum sit, omnia delicta aufert *l. 3. ff. de requirend. vel absent. damnand. l. 12. C. ad Leg. Cornel. de fals. Damhoud. in pr. rer. crim. c. 8. num. 24.* Quas leges propter insignem usum omnibus, qui modo nomen profitentur in JCtis, de meliori nota commendat *Id. d. c. num. 25.* Eodem modo civilis actio incensarum ædium, quæ descendit ex actione L. Aquiliæ, ut cæteræ personales præscriptione tolluntur *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

COROLLARIA.

1.

Q. An Dux Sabaudiæ Vicarius Italiæ (*de quo agit Capitulatio Leopoldi. art. 4. in fine*) subsit nostris duobus Vicariis? *Aff. Nobilissimus atque Excellentissimus Dn. Præses Patronus atque Præceptor meus nullo non observantiæ cultu devenerandus in Prælectionibus Juris publici.*

2.

Q. An Principes debeant in testamentis suis condendis observare solennitates Juris Civilis? Negatur.

3.

Q. An modus conferendi Feuda per vexillum adhuc hodiè sit in usu? *D.*

Quid

QUid cautæ circa ſtatuant incendia leges,
Quæ fieri culpâ dicantur, diſſeris aptè
Sint procul hi casûs funeſti: ſint Tibi ſalvæ
Res patriæ, & nobis, devotâ mente precamur!

Benevolum & gratantem animum Eximio Dn. Reſpondenti exhibiturus deproperabat

Georgius Adam Struve/ D.

DUm face terribili fumant faſtigia tecti
Tardipedisque Dei regnat furor efferus, omnes
Patresque plebesque tremunt, ſopire laborant
Crudeles flammarum Iras, ſed triſtia mitto.
Pro nobis ſempervigil excubet Ultor Jhova!
Accendit fax iſta faces; ac ignis ab igne
Provenit, hunc Regina Themis exſuſcitat in Te
Chare, animas ignem, & ſcribis plaudente Lyceo.
Tanto cum fervore Themin ſectare. Patentem
Intravit mens docta viam, ſe librat in altum
Promeritura brevî condigna labore brabea.

Per-Eximio Dn. Reſp. Autori amicè gratulatur.

Johann-Volk. Bechman/ D. Præſes.

IGnivomum Phœbi miramur in æthere diſcum,
Accenſasque faces, maculas, *Incendia*, fumos,
Viſu digna viris Cœli Spectacula doctis.
Crediderim ſimili Aonium exardeſcere Phœbum
Igne, ſuis faculis clarum maculisque coruſcum.
Sic eſt. Tu faculis proprior tantum inde caleſcis
Ingenio ut claris ſiſtas *Incendia* flammis.
Gratulor has faculas! abſint *Incendia* tectis,
Virtutum contrà capiant *Incendia* vires,
Nec puro tentent maculæ immiſcerier igni.

Eximio Dn. Reſp. Amico & Commenſali ſuo ſuaviſſimo gratulab. deprop.

Erhardus Weigelius Mathem. Ducal. Sax. Prof. Publ. Alumn. Inſpector.

FINIS.